

mittat, si fatendo recognoscas. Cui Catharina : Obsecro ut mihi desinat esse molestæ : cumque hera abscessisset, cepit amores suos et turpitudinem decantare, duravitque ad dies plures hæc agendi et dicendi ratio, donec quadam nocte, accersita cum ancillis hera hæc in verba prorupit : Torqueor et animo angor plurimum ob violatam confessionem; et ab ea hora usque ad mediam noctem toto corpore obrigit, ut crederetur mortua, et de humatione et sepultura esset cogitatio : sed ad se reversa accitoque sacerdote, nihil de antiqua fatendi consuetudine remisit. Tres post horas, paulo antequam expiraret, exhortata a servis, ut apprehensa manu cruce et cereo sacro, nomen Jesu invocaret, respondit : Quis est ille Jesus? Eum non novi, ac in ultimam partem lecti reflexa, sedensque audiebatur cum alio quodam, qui tamen oculos fugiebat, colloqui. Ac alia serva, quæ eodem in loco ægra decumbebat, vehementer dominam rogavit, ut in distinctum cubiculum transferretur, quod ut aiebat, larvas quasdam atras videret, quibus admodum terrebatur. Nocte ea, qua Catharina extincta est, domus tota tam foetido ac putri odore perfusa est, necessarium ut fuerit, cadaver loco patente et aperto exponere : dominæ etiam frater e cubili brachio extractus est; ancilla quædam in humeris veluti calce percussa est, pertulitque aliquot dies ejus læsionis signa; equus mansuetissimus alioquin, actus in murum calcibus huc et illuc discurrens tota nocte insanit; idem fecerunt et canes multa discursione et latratu. Humato jam corpore, cum ex ancillis quædam locum intrasset, in quo Catharina decubuerat, nemine conspecto, sensit in se vas quoddam, quod tabulatis impositum erat, jaci. Major præterea pars hujus urbis vidit multo crepitu et sonitu huc et illuc plurimos lateres et tegulas, etiam ad duo millia passuum projici; non quod in palatio ullus sit later vel tegula, cum, ut pleraque hujus urbis ædificia omnia, palma tegatur. Ancilla alia spectantibus multis pede protracta fuit longissime, etiamsi quæ traheret non videretur. Septimo octobris cum quædam serva vestiarium esset ingressa, ut inde vestem aliquam sibi sumeret, vidit Catharinam erigentem sese in pedes, ut vas quoddam ariperet : fugiente illa tanto impetu vas in murum impulit, ut in mille partes frangeretur. Die insequenti vestiario annexa fuit crucis imago chartacea, quæ uno impetu a muro avulsa in conspectu omnium tres in partes distracta est. Eodem die cum in horto domina cœnaret, medius later lanci injectus totam cœnam evertit : cujus filius annorum quatuor, eo ipso tempore cla-

mare cœpit : Matercula, matercula, Catharina me præfocat : appensisque ad collum sanctorum exuviis ab ea pœna liberatus fuit. Hæc dominam coegerunt ut ædes mutaret et in consobrinæ domum se reciperet, relictis ancillis quibusdam ædium custodibus. Decimo dicti mensis, cum ex ancillis aliqua in officinam dispensatoris ivisset, sensit se ter a Catharina vocari : quam timore nimio dilapsam exhortatæ sunt cæteræ ut invocato Domini nostri auxilio, cereoque sacro accenso regrederetur : assumptis duabus, quæ cæteris animosiores videbantur, secure rediit, quam defuncta monuit, ut dimissis aliis, cereo abjecto quod pœnam inferret, sola persisteret. Emittebat Catharina ex omnibus corporis juncturis flammæ, incredibili cum fœtore. Caput cum pedibus ardebat, cincta erat veluti ignita fascia octo aut decem digitos lata, quæ in terram protendebatur, videbaturque libidinis et admisæ turpitudinis pœna et castigatio quædam. Viso hoc spectro tremere et exallescere cœpit serva, ad quam infelix defuncta : Accede huc. Quoties ego te evocavi? Respondit serva pene examinis : Bone Jesu, quis non horreat te visa? Quæ cum diceret, in eundem locum descendit formosissimus puer albis vestibus : qui servam hortatus est, ut posito timore forti esset animo, notaretque diligenter quæ a Catharina acciperet, ut in alios evulgaret, ac simul atque ab hoc loco abscessisset, confessione maculas omnes expiaret. Tum hæc in verba Catharina : Scias inferno me mancipatam et gravissimis subjectam pœnis; quod cum sacerdoti advolverer ut peccata faterer, levissima tantum referrem; cujusmodi sunt, quod garrula essem et loquax; in iram proclivis, et id genus alia : silentio vero involverem libidines, et consuetos cum adolescentibus congressus. Tu igitur disce bene confiteri, et nullum crimen tacere. Horumque vos commoneo, quod ita mihi imperatum sit, cogarque aliorum in exemplum hæc verbis aperire. Jam pulsus ad salutandam Deiparam Virginem audiebatur : defuncta mox in angulum quemdam secedit et evanescit. Angelus vero (angelum enim fuisse quem viderat puerum, credebat famula) abire ad suos famulam jubet quod et fecit. » Nos ergo, auditores, quia in bonum nostrum damnata hæc apparuit, malo ejus docti melius instituamus nostram confessionem, expediamus vernaculos nostros, recenseamus omnia peccata nostra ut a diaboli laqueis expediamus ac recuperemus animas nostras, etc.

CONCIO VIII.

IMPEDIMENTA CONVERSIONIS QUOMODO SUPERANDA.

I. Consuetudo peccandi, et remedia. — II. Delectatio peccati, et remedia. — III. Societas et propinquitias, et remedia. — IV. Mundi negotia, et remedia. — V. Horror pœnitentiæ, et remedia. — VI. Dæmonis insidiæ, et remedia. — VII. Mundi obrectatio, et scandala.

THEMA.

Erat (Jesus) ejiciens dæmonium. Lucæ XI.

Viderunt quidem Israelitæ luculenta indicia præstantiæ terræ promissæ, botrum, malograna, ficus : audierunt etiam ab exploratoribus ad eam missis terram illam manare lacte et melle; ut merito quis existimare posset, jam tunc omnem sublatum iri difficultatem et murmurationem, quominus alacriter pergerent in cœpto ad eam itinere; sed aliter evenit. Cum enim narrassent plerique exploratores, terram alioquin optimam, esse pene inexpugnabilem, imo devorare habitatores suos, obstare multos hostes, eosque gigantes, urbes eorum grandes et muratas usque ad cœlum, tum omnes consternati vociferari et flere inceperunt et denuo in Ægyptum regredi voluerunt. Josue tamen et Caleb contra asserebant, non difficile occupari terram illam posse, et obstantes hostes omnes debellari : *Quia sicut panem, ita eos possumus devorare*, inquiunt. Sed cum his non moverentur, iratus eis Deus juravit se neminem ex iis, qui erant supra viginti annos; adeoque qui murmurarent, introducturum in terram illam, præter Josuen et Caleb. Quod et factum. Vidimus et nos ante octiduum in transfiguratione Domini, non obscura quædam indicia promissæ nobis patriæ et cœlestis gloriæ. Vidimus enim Christi faciem rutilantem instar solis, vestes ejus instar nivis albas, cum ipso Moysen et Eliam, visos in majestate, vocem cœlestis Patris desuper intonantis et Filium commendantis : et hoc totum in nube lucida et umbrosa. Quis ultra requirat aliquid, quo gloriæ nobis promissæ certitudo amplius firmetur? Si enim hic in terra et exilio tam gloriosus apparuit Dominus, et suam quoque gloriam Moysi et Eliæ communicavit : si ex sola hac visione Petrus inebriatus fuit, nesciens quid diceret : quid erit in patria et cœlo? Annon igitur omnes illuc alacriter pergemus? Eritne unus ex omnibus qui in peccato sistere, nec ad gratiam contendere velit, quæ pignus illius est gloriæ? Sed videor mihi audire multos obmurmurantes et dicentes : Terra quidem nobis descripta revera fuit lacte et melle, ut ex transfigu-

ratione Domini colligi potest, sed cultores habet fortissimos, ibi multi sunt gigantes, qui armati nobis occurrent, nosque ab ingressu terræ impedient : consuetudo peccati, delectatio amici, negotia mundi, pœnitentia, dæmon, mundus. Sed nolite rebelles esse contra Dominum, dicebat Josue; et nunc ego quoque dico : *Neque timeatis populum terræ hujus; quia sicut panem, ita eos possumus devorare. Recessit ab eis omne præsidium; Dominus vobiscum est, nolite timere.* Ad hoc enim monet nos Ecclesia per hodiernum evangelium, ut scilicet dæmonem nobis in via Dei obstantem ejiciamus digito et virtute Dei. Septem reges fuerunt, qui impedire conati sunt Israellem ab ingressu terræ promissæ; frustra tamen obstiterunt, sicut et septem spiritus nequiores in hodierno evangelio.

I. Erat Pharaos, Exodi XIV. qui primo dimittere noluit Hebræos ad sacrificandum et in terram Chanaan ituros. Secundo, discedentes insecutus est et retrahere in Ægyptum voluit ad pristinam servitutem. Sed primo, angelo mediante prohibitus, deinde, in mari rubro suffocatus est; per quem designatur consuetudo peccandi, quæ instar Pharaonis indurata et in alteram mutata naturam non vult dimittere peccatorem ut convertatur; sed abeuntem insequitur et ad priorem vitiorum servitutem reducere conatur. Id quod, non figurate tantum, sed reipsa etiam experti sunt Hebræi, siquidem adeo assueti erant Ægyptiæ servituti, ut eam ægra desererent et sæpius iterum desiderarent, ac dulcissimo manna spreto, vilissima cæpe et allia Ægypti in desiderio illis essent. Ita etiam fit per assuetudinem, ut iter spirituale pœnitentiæ et conversionis desipiat peccatoribus, sapiant vero solæ voluptates, fœda colloquia, impuri libri, ebrietas, impudicitia; eaque non tantum ægre vitentur, sed subinde etiam iterum recurrant, juxta id : *Naturam expellas furca, tamen usque recurret.* Imo per consuetudinem fit ut homo non timeat intrare mare, id est, præsentissima mortis, pœnarum et gehennæ pericula. Sed qua ratione superabimus Pharaonem? Fugiamus a mala consuetudine, cessando aliquamdiu a malo opere, verbi gratia; ebrietate, juramento, fornicatione, lectione libri impuri, etc. semper passum et passum faciendo contrariorum actuum vel saltem omissionis malorum, verbi gratia, propone hodie abstinere ab ebrietate, postea tota septimana, postea toto mense, etc. Ita S. Bernardus, ut est in ejus vita, cum in Franciæ finibus agens nobilem offendisset, turpitudinis vitio tam addictum, ut eo sese quolibet die fœde inquinaret; eum severa oratione, at nihil proficientia

admonuit. Qui dum se abstinere nullo modo posse assereret : *Quæso*, aiebat S. Bernardus, *saltem aliquales cum Deo inducias facito ut minus ad triduum*. Annuit ille, et ecce triduo expleto : *Nunc in honorem Deiparæ*, inquit, *tantundem præstata*; paret. Tum tertio Bernardus : *Semel adhuc has inducias posco in honorem omnium sanctorum*; et ille rursus eas paciscitur, donec sponte Bernardo se insinuans diceret : *Nolim amplius diurnas, sed perennes cum Deo inire inducias*. Quod si hoc negotium tibi forte tam feliciter non succedit, pone inter novam et veterem vitam tuam pœnam aliquam monitricem, quemadmodum inter Hebræos fugientes et Ægyptios insequentes posuit se columna ignis seu angelus in ea. Si enim pueri a pravis habitibus et consuetudinibus revocantur timore virgæ, et alii quicumque peccatis assueti, ut ebriosi, fornicarii, timore carceris vel alterius mulctæ : non difficile hoc idem obtinebis, si aliquam tibi imponas pœnam relabenti, quemadmodum suadet S. Chrysost. in consuetudine jurandi, verbi gratia, percute pectus quoties juraveris, etc. vel fac eleemosynam aut certam orationem. Et tametsi hoc rideatur a multis, ipsi tamen ridendi vel potius miserandi sunt, quia : *Si nosmetipsos diducemus, non utique a Domino iudicemur*, I. Cor. XI.

Denique, si induratum te sentias ex consuetudine, propera ad mare rubrum et per illud transi, id est, frequenta sacramenta confessionis et communionis, in his enim accipies abundantem Dei gratiam, et tandem Pharaonem seu consuetudinem tuam pravam submerges. Certe in confessione, si eadem peccata semper repetas, moneberis sæpe a confessario de relapsu vitando, doceberis remedium, etc. imo teipsum monebis et cavebis relapsus.

Quod si nihil horum te movet, scito quia *cor durum male habebit in novissimo*; descendet enim cum Pharaone in profundum quasi lapis.

II. Fuit rex Amalec, Ex. XVII. qui primus occurrit manu armata Israelitis; sed fugatus in ore gladii, Josue pugnante, Moyses vero orante, et ab eo tempore bellum ei æternum a Moyses indictum. Per hunc designari videtur delectatio et voluptas, quam in peccatis sentit peccator, et postea adlambit cum ejus recordatur (Amalec enim *populus lambens* exponitur) quis autem nescit oves ab eo loco difficulter recedere et mox ad eundem recurrere, in quo prius aliquid salis inveniunt et lambrunt? Postquam ergo sæpius quis gustavit peccati dulcedinem, jam difficulter inde avertitur, et aversus mox recurrit; atque ita amor et affectus peccati inordinatus, peccandique illecebra degustata, primus est hos-

tis ut disserit Rupertus, eo loco, et Gregorius, in lib. II. Reg. cap. II. qui homini ad Deum egressuro occurrit, et bellum infert ac pugnat in Raphidim, id est, reclinatoriis seu Pramentiis, pristinae videlicet delectationis et dulcedinis. Hic etiam reipsa occurrit Israelitis, cum in mentem eis venerunt dulces illi pepones ac cucumeres; et propterea redire in Ægyptum voluerunt : hic occurrit Augustino cum de deserendo feminarum commercio et castitate amplectenda cogitaret : « Retinebant me nugæ nugarum, (ait ipse, lib. VIII. confess. c. XI.) et vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ et succutiebant vestem meam carneam et submurmurabant : Dimittisne nos? Et a momento isto, non erimus tecum ultra in æternum, et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in æternum? » Denique, impugnat Amalec gulosos, fornicarios, usurarios et bonorum alienorum usurpatores et quicumque in peccatis delectationem habuere; tantoque magis prævalet, quanto homo per ejusmodi illecebras languidior et infirmior factus est. Quemadmodum enim Amalec Hebræos in itinere adhuc novitios et *extremos agminis ejus, qui lassii residebant*, cæciderat, ut dicitur, Dect. XXV. ita et præterita delectationis memoria, quia hominem adhuc in cœpto conversionis itinere reperit novitium et viribus animi destitutum (manet enim in eo intellectus adhuc obscuratus, iudicium depravatum, voluntas hebetata, sensus ad malum proni : adeoque omnes pene horologii rotæ languentes) inde efficitur, ut facile eum expugnet, vel saltem stragem aliquam faciat. Sed pugnandum est contra hunc hostem : et primo, cum Josue in ore gladii, id est, in timore iudicii et gladii illius bis acuti, qui procedet de ore iudicis, Apocal. I. siquidem voluptas peccati ad extremum degenerabit in amaritudinem. *Cum enim dulce fuerit*, inquit Job, c. XX. *in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua : parcat illi et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo* (sed audi) *panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus*. Experimento hoc didicit etiam in vita, pessimus ille Amnon, qui initio sororem suam Thamarem adeo pene deperibat, ut propter amorem ejus ægrotaret : posteaquam vero eam oppresserat, exosam habuit : *Odio magno nimis, ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat*, ut dicitur II. Reg. XIII. Ideo mox præcepit eam ejici a se et excludi. Cogitet ergo qui convertere se vult, hoc idem sibi eventurum, et quidem in vita nonnunquam, sed multo magis in morte; ubi panis pravæ voluptatis omnis vertetur in fel aspidum, cum videbit se propterea damnandum. Cogitet se in inferno

maledicturum et cane pejus et angue aversaturum creaturas, quas hic perperam amavit. Quis autem adeo stultus foret, qui panem de saccharo licet et melle confectum ederet, si sciret eum vertendum in fel aut absinthium? Quia vero hæc sola cogitatio forte non sufficit, et caro infirma est, etsi oculatus intellectus et voluntas prompta : adjunge orationem, et pugna cum Moyses levando indesinenter ad Deum manus, petendo robur ut talibus illecebris non movearis, non inesceris amplius. Id quod sedulo fecit in confessione sua Augustinus, et ita victor evasit.

III. Fuit Edom rex, Num. XX. qui requisitus ab Israele tamquam frater (siquidem Israelitæ Jacobi, Edomitæ vero Esau fratris Jacobi, posterierant) ut transitum ei concederet per ejus dittonem, pollicente Israele omnium rerum incolumitatem et securitatem, adeo ut nec aquas de puteis ejus bibiturum se cum suis diceret et via regia iturum, noluit dicens : *Non transibis per me : alioquin armatus occurram tibi*, statimque egressus est cum infinita multitudine et manu forti. Quam ob rem divertit ab eo Israel, et circumivit Idumæam. Quis est hic Edom frater Israelis tam hostilis? Societas amicorum et propinquorum. Ubi enim quis a pristina peccandi consuetudine vult recedere, commercia periculosa dimittere, comessionibus et ebrietati valedicere, vindictæ appetitum deponere, moriturus injusta bona restituere, eleemosynam pauperibus vel Ecclesiæ legare et peccata sua redimere, etc. mox adsunt fratres et consortes ejus, propinqui, socii mali, etc. qui ei ingeminant : Non licet tibi hoc per nos : num tu solus sapiens? Unus omnibus nobis renuntiabis? etc. Et licet quis via trita et omnibus concessa, virtutis scilicet, et sine omnium damno progressurum se dicat, adhuc tamen hostes et infensos habet socios : ac sæpe ipsosmet fratres, liberos, propinquos, juxta id Salvatoris : *Inimici hominis, domestici ejus*. Quid igitur remedii? Noli adire societatem malam, nec pugnare quidem cum ea tenta, quia periculosa est talis pugna et timendum ne sociorum illecebris illectus a via Dei retraharis, ut patet exemplo Alypii, ut narrat Augustinus, lib. IX. confess. c. VIII. quod ab amicis vocatus ad ludos, quos tamen oderat, consenserit accedere firmato prius proposito, (Adero, dicebat, *absens, et sic et vos et illa superabo*) ut oculos clauderet; quod cum faceret, magnum audivit populi clamorem occasione alicujus, quod fiebat, itaque aperuit oculos et mox spectaculi amore captus spectavit deinceps totum, et sæpius, imo et alios postea adduxit. Diverte igitur a malis sociis, circumi etiam cum

tuo incommodo : *Obliviscere domum patris tui*, Ps. XLIV. Hoc fecerunt Israelitæ et didicerunt a progenitore suo Jacob, qui sciens fratris sui Esau perversitatem, ab eodem de domo paterna fugit in Mesopotamiam, et ibidem servire maluit, Gen. XXVII. et rursus a fratre invitatus in Idumæam, ejus terram, non venit, sed transivit (declinando Idumæam) in Salem quæ pax exponitur. Timebat enim ne si ad fratrem iret, eo mero præsertim incalescente, vel pristinum renovaretur odium, vel ipse cum perverso perverteretur. Bonum consilium inquires, sed difficile vitantur diu amati propinqui et socii difficiliter perduntur. Sed tu num mavis perdere socios et amicos quam perire et ab iisdem perdi? An nescis, quote ducant? Nonne ad pericula, ad præcipitia, ad infernum? Si te in domum infectam, si ad commercia leprosum, si ad conventum dæmonum et sagarum ducere socius vellet, haud dubie non acquiesceres : et cur sequeris præeuntem ad infernum? Putasne salvabunt te in illa die socii et propinqui tui? Vel quid juvabit te, si cum multis pereas? Nonne magis inde cruciaberis? Si enim socius socio, propinquus propinquo, frater fratri, non auget, sed mitigaret damnationem, damnatus ille epulo nequaquam petisset mitti ad fratres suos, ut respicerent, ne in eandem damnationem venirent, Luc. XVI.

IV. Chananeus rex Arad, Num. XXI. pugnavit hic contra Israel, et primo, victor existens prædam ex eo duxit : sed Israel postquam vovisset se deleturum urbes ejus, si vinceret, interfecit eum subversis urbibus ejus, et vocavit nomen loci ejus *Horma*, id est, anathema. Chananeus mercator seu negotiator exponitur, et designat mundi sollicitudines ac negotia sæcularia, quæ vehementer impediunt hominem ad conversionem tendentem et plerumque vincunt ac prædantur, dum omnes illius cogitationes, locutiones et actiones ad se trahunt, tempus denique omne quod animæ saluti impendendum esset, sibi impendi faciunt, nec spatium relinquunt de Deo cogitandi et animæ salute. Nonne magna est hæc præda, qua pretiosum tempus, omnes nostræ cogitationes et actiones Deo et animæ abstrahuntur et diabolo ac mundo transcribuntur? Et hunc hostem, Exod. VI. experti sunt Israelitæ in Ægypto, cum propter angustiam spiritus et opus dirissimum non acquirerunt Moysi evocanti eos ad sacrificandum Deo in deserto, sed hinc inde dispersi solliciti potius erant de paleis colligendis, quam de sacrificio peragendo. Sic dum te a domesticis curis et sæcularibus negotiis nunquam subtrahis, ecclesiam non frequentas, et ibidem cubiculum cordis non ingre-

deris, nec teipsum colligis, sed perpetuo extra vagaris; quid mirum si poenitentia tua, confessio et communio, sine fructu fiat et tot spinæ se-mentem suffocent? Quid igitur faciendum? Des-true urbes Chananæi, negotia, et desideria no-civa et inutilia, quæ te a cura animæ tuæ et gloria æterna abstrahunt. Tales enim urbes erant negotiationes illæ, villa, juga boum, uxor quæ abstraherent invitatos a nuptiis et cœna Dei. Urbes Chananæi sunt cogitationes et desideria illa, quibus detineris et perpetuo meditaris, quo-modo opes, honores, delicias acquiras, quomodo conserves, expendas, domum novam ædifices, prædia amplius, caro vendas, filiam eloces, pe-cuniam malam distrahas, meliorem carius ex-pendas, ab æquis et bobus tuis lucra quæras, etc. Urbes Chananæi erant, horrea et epulæ illius viri divitis tui qui dicebat: *Destruam horrea mea et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*, Luc. XII. Hæc, inquam, ur-bes Chananæi sunt; sed omnino destruendæ et evertendæ sunt. Primo, quia plurimum in aere eas tibi ædificas, et sæpe non consequeris quod diu meditaris et quæris. Deinde, licet consequaris, aliis laboras easque cito relinques et fortasse hodie audies, quod dicit ille: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* Quæ vero insania, cum tot curis, aliis laborare? Denique, dum in his urbibus immo-raris et desides, interim ab ingressu terræ promissæ, seu beatitudinis præpediris, et tuam ip-sius animam pondere cogitationum illarum oppressam mergis. Qui enim talibus occupantur: *Incident in desideria multa inutilia et nociva*, ait apostol. I. Tim. VI. *quæ mergunt homines in interitum*. Ad eum scilicet modum, quo ante paucos annos vidimus milites aliquos Danubio vectos, natatu ad littora et pagos permeasse, et cum se anseribus et gallinis, passim abreptis oneras-sent, dum ad navem iterum conabantur adna-tare, pondere anserum prægravatos in undis periisse. Quæ autem est ista insania tam inani-bus rebus mergere animam in interitum? Obs-tringe igitur te voto et propone firmiter, quod præ omnibus quæres et procurare negotium animæ velis, et excludere quidquid inde te revo-cat. Fuge id tamquam Horma, id est, anathema.

V. Sehon rex Amorrhæorum, Num. XXI. qui pro transitu requisitus, promissa assecuratione indemnitate et securitatis, noluit eum concedere, sed cum omni populo suo venit obviam Israeli et pugnavit eum eo; victus tamen et ad interne-cionem cæsus: *Non fuit vicus et civitas, quæ effu-*

*geret manus ejus, ut dicitur, Deut. II. Sehon era-dicatio exponitur, Amorrhæi vero amari. Talis vero est poenitentia maxime, quæ eradicat e corde peccata, quamquam ipsa amara est et horror iis, qui poenitentia assueti non sunt. Et tametsi eis ratio dicet, nihil damni inferre poenitentiam, nemini nocere, nec bonis obesse aut corpori: nihilominus tamen amaritudo poeniten-tiæ quæ verissima est scelerum eradicatio, obsistit et conversionem peccatoris impedire conatur. Pu-gnandum ergo contra Sehon et inanem hunc horrorem: eradicanda sunt de corde peccata et quidquid animam torquet, bona injusta, odia, rancores, proposita mala, etc. non sit virus, non sit peccatum, quod non deleatur per confessio-nem et contritionem. Sed amarum est hoc, in-quires, recensere sacerdoti scelera sua, ea detes-tari et deflere; rebus cupitis et diu amatis nuntium mittere, veterem pellem euere et novam induere, opera satisfactoria peragere, etc. Ut ut sit, si amarum est, necessarium tamen est et usu ipso suave fiet, in fine vero suavissimum erit. Dic enim quæso, si spinam pedi intriveris, annon lubens pateris eam tibi ab altero evelli, et rogas insuper licet noris sine dolore non evellendam? Sane ex decantata illa historia de Androdo Da-cocimus leonem pede saucium, cui spinam infi-xerat, supplicem et quasi opem petentem ad Androdum in Africæ deserto venisse, pedem li-benter porrexisset, ad spinam evellendam, et postmodum gratitudinis loco, præda sua diutius aluisse. Romæ denique ad bestias damnatum, cum et ipse ille leo interim captus eo delatus esset, adhuc medicum suum agnovisse et ser-vasse, ut vidisse se scribit Appion Polyhistor, et ex eo refert Gellius, noct. Attic. lib. V. c. XIV. et alii. Jam si tam efferum animal adeo libenter se obtulit medelæ, et tanta gratitudine compensavit beneficium, quid est quod homo metuat præ-berere se spirituali medico, ut eruantur ab ejus anima peccatorum spinæ, quibus plurimis tor-quetur in conscientia et nisi eruantur, torquebitur in æternum? Quid enim peccata nisi spinæ quæ assiduo mentem lacerant? Audi Davidem: *Conver-sus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, id est, huc illuc me versabam præ dolore, seu (ut S. Hieron. ex Hebræo vertit) versatus sum in miseria mea, dum configitur mihi spina, id est, dum assi-duo pungit me stimulus conscientia, ut explicat et intelligit S. Hieronymus. Sed renuitne porrigere pedem ad eruendam spinam? Minime; sequitur enim statim: *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor ad-versum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei*. Quis igitur nunc horreat*

aut fugiat poenitentiam, ejusque horrore a con- versione resiliat, cum audit eam esse tam salu-tarem et necessariam eique tam prompte et liberaliter a Deo impertiri remissionem? Audit etiam a rege tam prompte susceptam?

VI. Og rex Basan, Num. XXI. qui erat gigas (de stirpe gigantum superstes, cujus lectus fer-reus novem cubitis longus, et quatuor latus erat, Deut. II.) occurrit Israeli cum omni populo suo, ut pugnaret contra eum. Et videtur hunc primo, propter magnitudinem timuisse Moyses. Deus enim dixit illi ne timeret illum, quia in manus ejus traditus esset cum omni populo suo ac terra. Itaque percussit eum Moyses usque ad interne-cionem. Og iste diaboli typus est, juxta Job XXVI. *Gigantes, (id est, dæmones) gemunt sub aquis, scilicet inferni*. Gigas ratione superbiæ ob quam e cælo detrusus est: gigas ratione virium, de eo enim dicit Job, cap. XLI. *Non est super ter-ram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt, ipse est rex su-per universos filios superbiæ*. Ejus lectus ferreus et longissimus, æterna est damnatio, cui est alliga-tus. Et mirum ergo erit, si quem terreat et a conversione retrahat iste gigas? Incredibilem ejus vigilantiam et indefessum nocendi studium in hodierno evangelio perspeximus: ipse enim est fortis armatus, qui custodit atrium suum, nec facile dimittit, præsertim si præscripsit, et si pellatur, inde postliminio revertitur cum sep-tem aliis se nequioribus. Modo ingerit ut con-fessionem differas ad mortem, vel donec lites tuas cum adversario transegeris. Modo ut odium non deponas, nisi cum periculum mortis adest, modo ut aliena non restituas, nisi postquam opibus abundaveris, modo ut peccatum aliquod reticeas, ob respectum confessarii, etc. donec alio loci peregrinatum eas, etc. Sed non timen-dus est hic Og, quia traditus est in manus nos-tras, siquidem ejus potestatem ita contrivit et certæ mensuræ alligavit Christus, ut nemini nisi volenti queat nocere. Optat is quidem omnes nos contere et quasi aves in arcta reti tegere et mactare: sed a Deo variis impeditur modis, et inde magis torquetur, quod non possit nocere quantum optat. Lepide fabulantur Judæi Og regem fuisse staturæ ingentis et lectum illum novem cubitorum fuisse tantum ejus cunas. Illum ergo adventantibus Judæis montem dua-rum leucarum eradicasse et in caput suum im-posuisse, ut Hebræos omnes uno montis hujus jactu obrueret: Deum autem misisse formicas, quæ montem perforantes eum descendere fece-runt usque ad humeros Og: mox crescentibus jus dentibus ad decem cubitos, non potuisse

montem a se projicere. Quod videns Moyses qui altus erat decem cubitos, accepit securim decem cubitorum, atque in Og insiliit ad decem cubitos, pertigitque ad juncturam tibiæ ejus cum pede, ibique eum percussit et occidit, monte simul in eum cadente. Referunt Lyranus et Abulensis, quæst. XXVII. Congruit huic fabulæ nomen Og, quod est subsannatio, vel Syriace, impeditus, Basan vero, in dente significat. Impeditus ergo fuit in dente. Vanissimum hoc Judæorum fig-mentum non inepte representat diabolium. Is enim adeo nocendi humano generi cupidus est, ut si Deus permitteret, uno monte totum id obrueret, et uno bolo omnes devoraret. Id quod machinatur sæpe et quodammodo minatur, id-que ex ingenti in eos invidia, sed non patitur Deus, ut noceat pro libito: quin potius innume-ros mittit angelos qui molitiones ejus dissipent et evertant: unde totus ille furor in homines conceptus in ipsum recidit et majus ei tor-mentum affert, quod nimirum mentem illum furoris sui projicere a se in homines non possit.

Ita ergo ligato et impedito dæmone facillimum est homini, eundem sternere et superare: ideo in hodierno evangelio Dominus dixit, se in digito Dei ejicere dæmonia; innuens non esse necessa-rium Dei brachium ad expellendum dæmonem, sufficere unum digitum. Cæterum si tibi in via Dei obsistat Og diabolus, fac et tu quod fecisse Moysen fingunt Thalmudistæ, accipe securim et prosterne illum. Securim certe illam Elisæi, IV. Reg. VI. crucis typum fuisse scribit S. August. serm. CI. de tempore. Per crucem igitur sterne dæmonem ejusque insidias, hoc pacto: Objicit is tibi usitatam peccandi consuetudinem? Oppone ei crucem et dic: Dei Filium nequaquam prius assuetum fuisse pendere in cruce et obedire us-que ad mortem crucis, id tamen nihilominus fe-cisse et dicesse: *Ecce his quæ passus est, obedientiam, ut dicitur, Hebr. V. Objicit priorem peccato-rum dulcedinem? Oppone crucem et dic: Dei Filium in cruce jam cum morte luctantem et acerrimis doloribus undique occupatum, interim tamen animæ suæ negotium gessisse, cum ma-gna voce clamans: Eam Patris in manus com-mendavit et simul expiravit: præterea etiam salutem nostram operatum esse, pro nobis orasse, etc. Objicit tibi poenitentia horrorem? Oppone crucem perquam sane horridam et dic: Dei Filium eam non horruisse, nec in ea fel et acetum, imo et mortem. Objicit forte tibi diffi-cultatem reconciliationis cum inimico? Oppone crucem, et cogita Dei Filium in ea pro crucifixo-ribus suis orasse. Objicit tibi pudorem confes-sionis et suadet ut peccatum turpe tegas? Oppone*